



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Thomæ A Kempis Canonici Regvlaris Ord. S. Avgvstini De
Imitatione Christi Libri Qvatvor**

Thomas <von Kempen>

Antverpiæ, 1617

Cap. XXXIIII. Quòd amanti sapit Deus super omnia, & in omnibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45760](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-45760)

CAP. XXXIII.

Quòd amanti, sapit Deus super omnia, & in omnibus.

IECC E Deus meus, & omnia,
Quid volo amplius, & quid felicius desiderare possim? O sapidum & dulce verbum! sed amanti verbum, non mundum, nec ea quæ in mundo sunt. Deus meus, & omnia. Intelligenti, satis dictum est: & sæpè repetere, iucundum est amanti. Te siquidem præsente, iucunda sunt omnia: te autem absente, fastidiunt cuncta. Tu facis cor tranquillum, & pacem magnam, lætitiamque festiuam. Tu facis benè sentire de omnibus, & in omnibus te laudare: nec potest aliquid sine te diu placere, sed si debet gratum esse & benè sapere, oportet gratiam tuam adesse, & condimento tuæ sapientiæ condiri.

2 Cui tu sapis, quid ei rectè non sapiet? Et cui tu non sapis, quid ei ad iucunditatem esse poterit? Sed deficiunt in sapientia tua mundi sapientes, & qui carnem sapiunt: quia ibi Cor.
Rom.
& I. *Ioan.*

H 7 plu-

plurima vanitas , & h̄ic mors inuenit. Qui autem tē per contemptum mundanorum , & carnis mortificationem sequuntur, verè sapientes esse cognoscuntur : quia de vanitate ad veritatem, de carne ad spiritum transferuntur. Istis sapis Deus : & quidquid boni inuenitur in creaturis , totum ad laudem referunt sui conditoris. Dissimilis tamen, & multūm dissimilis sapor creatoris & creaturæ , æternitatis & temporis, lucis increatæ , & lucis illuminatæ.

3 O lux perpetua , cuncta creata transcendēs lumina, fulgura coruscationem de sublimi penetrantem omnia cordis mei intima. Purifica, lātifica, clarifica , & viuifica spiritum meum , cum suis potentiis , ad inherendum tibi iubilosis excessibus.

O quando veniet hæc beata & desiderabilis hora, vt tua me saties præsentia, & sis mihi omnia in omnibus.

Quamdiu hoc datum non fuerit , nec plenum gaudium erit. Adhuc , proh dolor , viuit in me vetus homo , non est totus crucifixus , non est perfectè mortuus. Adhuc concupiscit fortiter contra

contra spiritum, bella mouet intestina; nec regnum animæ patitur esse quietum.

4 Sed tu, qui dominaris potesta- Ps. 88.
tis maris, & motum fluctuum eius
mitigas, exurge, adiuua me. Dissi- Ps. 72.
pa gentes, quæ bella volunt: con-
tere eas in virtute tua: ostende quæ-
so magnalia tua, & glorificetur dex-
tera tua: quia non est spes alia, nec Ps. 30.
refugium mihi, nisi in te Domine
Deus meus.

CAP. XXXV.

*Quod non est securitas à tentatio-
ne, in hac vita.*

Fili, numquam securus es in 1ob 7.
hac vita, sed quoad vixeris, sem-
per arma spiritualia tibi sunt necessa-
ria. Inter hostes versaris, & à dextris
& à sinistris impugnaris. Si ergo non
vteris vndique scuto patientiae, non
eris diu sine vulnere. Insuper, si
non ponis cor tuum fixè in me, cum
meta voluntate cuncta patiendi pro-
pter me, non poteris ardorem istum
sustinere, nec ad palmam pertin-
gere